

I. N. D. O. M.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
CONTENTIONIBUS, PROPTER
LAPPONIAM MOTIS,

CUJUS PARTEM PRIOREM,
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REG.
ACAD. ABOËNSI,
PRÆSIDE

MAG. JOHANNES BILMARK,
HISTOR. & PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. & ORD.
PRO GRADU

Publico submittit examini

BENJAMIN SINIUS,
OSTROBOTNIENSIS.

In AUDITORIO MAJORI Die XVII Decembr.
An. MDCCLXXXIV.
H. A. M. S.

ABOË,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.

VIRO

ADMODUM REVERENDO ATQUE PRÆ-
CLARISSIMO,

D: NO *ERICO SINIO*,

Ecclesiarum, quæ Deo in Ijâ colliguntur, Pastori meritissimo,

PATRI OPTIMO,

KANSALLIS-
KIRJASTO

Inde ab ipsis incunabilis ad hunc usque diem tot, Pater Indulgentissime, me cumulasti beneficiis, quot rite prædicandis mea nequaquam sufficit industria. Quod enim vivam, quod in virtutis & eruditionis stadio inoffenso pede progredi mihi liceat, atque adminicula felicitatis meæ promovendæ desiderem nulla; hæc commoda, quæ in humanis merito habentur maxima, post Deum O. M. Tibi, PATER Indulgentissime, accepta refero omnia. Pectore hæc agnosco devotissimo, Teque supplex rogitō, ut in pignus pietatis meæ nunquam interitorituræ dissertationem banc solita benevolentia, major enim vix fingi potest, excipias. Quod reliquum est, preces ad Summum Numen pro perenni Tuae ac Matris carissimæ omnigena felicitate fundam calidissimas, ad cines usque permanisurus

PATRIS INDULGENTISSIMI

Obedientissimus filius

BENJAMIN SINIUS.



P R Æ F A T I O.

Lappones, illam veterum Nomadum progeniem, inter primos Scandiæ incolæ esse habendos, non tam ex antiqua traditione, qua nonnulli eorum perhibent, majores suos integrum Svethiæ regnum olim possedisse (a), quam inde potius colligimus, quod in vetustissimis, quæ ad nos pervenerunt, monumentis partim nulla fiat mentio accessus gentis hujus, a Gothis admodum diversæ, ad nostras oras, partim quod ipsi sub prima etiam Regum Scandiæ Dynastia non prorsus ignobiles fuerint. Lappones primus, quantum quidem nobis constat, nominat Auctor (b) fragmenti Historici, quod *Fundinn Noregur* seu *Origines Norrigiæ* inscribitur, fide eo dignior, quod ea simpliciter exponat, quæ vel ex antiquioribus hausit scriptis, vel longa majorum percepit traditione. Refert autem ille, quod *NORR, THORERI* filius ac *Jotlandiæ* Regis *FORNIOTURI* trinepos, sororem suam *GOAM*, a patriis clanculum abductam laribus, indagaturus, perdifficilem ad boreales Scandinaviæ provincias susceperit expeditionem, & quod occurrerit viris, qui *Lappones* appellantur, quos, quia trans-

A itu

itu per suas solitudines eum prohibere molirentur, protinus dissipavit (c). Quæ in Lapponiam irruptio annis plus quam ducentis ante natum Christum suscepta fuisse videtur (d). Post hæc Lapponiæ nomen, ut pervetustum, invenimus apud *Saxonem Grammaticum*, *Seculi XII Historicum*: in vita enim Daniæ Regis *FROTHONIS III*, quem circa nativitatem Christi vixisse communis fert opinio, perhibet, Principem hunc provincias *Helsingorum*, *Jarnberorum*, id est Dalecarlorum atque Vermelandorum & *Jantorum cum utraque Lappia* (e) *Dimaro procurandas attribuisse* (f). Quæ bina a nobis exitata loca vetustatem nominis Lapponum satis produnt. Per longam dehinc seculorum intercapedinem nomen Lapponum in nostris non habetur annalibus, adeo ut nec *Adamus Bremensis* nec *Sturlonides* in suis Scandinaviæ descriptionibus mentionem eorum faciant ullam. Quocirca probabile admodum est, Lappones interea sub *Scritofennorum* vel *Cretofennorum* appellatione, exteris etiam Scriptoribus celebrata, innotuisse (g); ipsos enim fennicæ esse profapiæ linguarum in multis convenientia satis probat; sed hanc persequi disquisitionem, instituti nostri non fert ratio. Postulat vero officium, ut in ipso disertationis limine significemus, quod non moreremur controversias, de Lapponum vel origine vel nomine pridem agitatas, illam quippe acutissimorum virorum opera ad umbilicum jam ductam, hanc autem ambiguitatum obscuritates vix eluctaturam. Nostrum

strum. vero specimen continebit fasciculum observationum quarundam Politico-Historicarum, Laponiam concernentium, quem in finem benevolentiae Candidi Lectoris qua par est observantia tradimus.

(a) Vid. *HÖGSTRÖMS bestrifning öfver Svånska Lappmarkerne* Cap. 2. §. 3. (b) *BIOERNERO* in *Praefatione libri, qui Nordiska Kämpa dater* inscribitur p. 13 probabile videtur, Auctorem citati Schediasmatis esse celebrem Islandorum Polyhistorum, *ARUM FRODE*, quem an 1068 natum fuisse opinatur *TORFÆUS* in *Prolegomen ad Historiam Norvegiæ* (c) Vid. *cit. Norrigiæ Originis* p. 3. (d) Vid. *Nob. LAGERBRINGS Svea Rikes Historia* Tom. 1. *Praefat* p. 19 (e) Præter Saxonem etiam *JOHANNES MAGNUS* in *Histor. Gothor.* p. 10 duplicis Lappiæ mentionem facit. Sed quænam utraque hæc Lappia? quærit *SCHEFFERUS* in *Laponiæ Cap. IV. Suspicatur* ambos ita divisisse in respectu aliquo ad situm, unamque intellexisse Orientalem, alteram occidentalem (f) Vid. *SAXONIS Historiæ Daniae Lib. V. p. m. 89 & 90* (g) Vid. inter alios *LAGERBRINGS Libr. & Tom. cit. Cap. 7. §. 13*, cui adde, quod *Laponia Russica* hodie appelleretur *Treskoi Leporie* (h) Vid. *Dissert. E. J. ÖHRLING de convenientia Linguae Hungaricæ cum Laponicâ, Upsaliæ. babit.*

§. I.

Ex Nomadica vivendi ratione, quam a suis acceptam majoribus etiamnum fervant Lappones, colligere licet, eos societatis civilis commoda diu ignorasse, nec aliam, quam Patrum familiarum in se au-

ctoritatem agnovisse; unde sequitur, Lapponiam non regnum quoddam, sed solummodo provinciam fuisse. Quocirca inter Historicos suborta fuit quæstio: *Ad quodnam Scandinaviæ regnum, Svethiæ vel Norwegiæ, Lapponia olim pertinuerit?* Veterem Norwegiæ Geographiam selectis observationibus illustrans Cel. Gerhardus SCHOENING, nihil, quantum in se fuit, reliqui fecit, ut ostenderet, Lapponiam a remotissimis inde temporibus Norwegiæ regno fuisse subjectam (a), nec Svethiæ Reges ante Unionem Calmariensem eas quoddam in illam sibi adferuisse (b). Argumentorum inclyti hujus Scriptoris vis in eo potissimum consistit, quod Lapponia olim *Finmarkia* nomine & ambitu fuerit comprehensa; quo impetrato, Lapponiæ tribuit, quicquid de Finmarkia veteres memoriæ produunt Historici; scilicet Norwegiæ Reges Lapponibus præfectos dedisse, atque ex illis tributa collegisse, ut alia, his similia, subjectionis indicia silentio nunc prætereamus. Contra ea sagacissimus Historicus LAGERBRING argumentis, paucioribus quidem, sed ponderosioribus probatum ivit, Lapponiam Svethiæ provinciam perpetim fuisse (c). In suæ opinionis præsidium hi Duumviri adducunt Historiam navigationis ab OTHERO, inclyto Halogalandiæ, Norwegiæ provinciæ, incola susceptæ, quem in aulam Angliæ Regis ALFREDI benigne exceptum fuisse, adeoque seculo IX vixisse constat. Talem vero ipse tradit Norwegiæ descriptionem, qualis eidem digno-

scen-

fcendæ etiãnum sufficeret. In præsentem autem præcipue facit rem, quæ de limitibus regni Norwegici habet: *Donne is to gemnes thãm lande Sudveardum, on odre healse thæs mores, Sveoland, that land nordveard*; quod ex lingua Anglo-Saxonica in Latinam ita vertitur: *Ex adverso huic regioni ad austrum ab altera parte montium (Norwegicorum) est Svecia, usque ad regionem illam septentrionem versus (d)*. Quibus sicut aperte indicat verbis, Svethiam a Norwegia per juga montium Norwegicorum fuisse separatam; ita Svethiæ amplissimam Lapponiam, quæ imperio etiamnum subjacet Svethico, tribuit. Cui sententiæ multum & lucis & roboris accedit ex testimonio ADAMI BREMENSIS: *In confinio Sveonum vel Nordmannorum habitant Scritofingi, quos ajunt, cursu feras prætere. Civitas eorum maxima Helsingaland, & Helsingaland regio est. (e)*. Quum itaque hinc constet, Scritofenniam seu Lapponiam fuisse partem Helsingiæ, quam latissime olim patuisse constat (f), dubitari amplius nemo potest, quin Lapponia provinciis Svethiæ inde ab antiquissimo ævo fuerit annumerata. Opinonem quidem suam contra argumenta Nobilissimi LAGERBRING tueri deinceps amissus est Cel. SCHÖENING (g); quantum vero posterioribus profecerit curis, nos, quibus hac vice propositum est, palmaria saltem in præsentem rem rationum momenta adferre, aliorum permittimus disquisitioni.

(a) Vid. *Ejusd. Försök til de Nordiske Landes gamle Geographie* passim. (b) Vid *libr modo citat* § 33. p. 72 &c. (c) Vid *Ejusd libr & Tom. citat. Cap. 7. §. 13.* (d) Vid. *Periplum Othere & Wulfstani inter Scriptores Rerum Danicarum medii ævi ab illustri Jac. LANGEBEK editos Tom. II. p. 112*. (e) Vid. *Ejusd. libr. de Situ Daniae &c. Cap. 90. p. m. 61.* (f) Vid. *G. SCHÖNINGI libr. citat. p. 61.* (g). Vid. *Ejus. Norges Riikes Historie Tom. I. p. 137 seq.*

§. II.

Refragantibus porro veterum Scriptis, Cel. SCHÖNINGO liberaliter non erit dandum, in Laponiam quadrare, quicquid de Finmarkia in annalibus prædicetur; quum verisimile sit, diversas has fuisse provincias. Constat hoc luculenter ab expeditione Principis NORRI, quæ in *Originibus Norrigiæ* describitur: *Epter that for hann (Norr) af Kvænlandi, oc fyrir innan hafsbottnin, oc kvamo their thar, er voro their Menn er Lappir heita, that er bak a Finmark.* Id est: *Post hæc profectus est Norr ex Kvenlandia, atque iter continuans intra Sinum Bothnicum ad illam pervenit regionem, in qua illi erant viri, qui Lappones nuncupantur, quæ est pone Finmarkiam* (a). Saxo etjam provinciis Sveithiæ, ut supra vidimus, non autem Norvegiæ, Laponiam annectit. Quibus accedit, quod in *Historia Regis OLAVI TRYGGVASSONII*, ab Oddo Monacho consignata, perhibeatur, partim quod Norwegia
a Se-

a Septemtrionali parte sese extenderit ad *Finmarkiam* (b), partim inter Norwegiæ provincias ibi enumeratas non compareat Lapponia (c). Verum quidem est, quod OTHERUS mentionem faciat tributî, quod Fenni pendere consueverant Præfectis Norwegiæ (d), sed quod Fennorum nomine heic non comprehendantur Lappones, exinde patet, quod illi præter cervos rangiferos haberent boves, oves &c. ac terram colerent; hi autem, quos *Terfinnos* nominat, ex venatu, piscatu & aucupio viverent. Imo Finmarkiæ incolas longo temporis spatio ab imperio Regum Norwegiæ fuisse immunes, nec a Rege HARALDO PULCHRICOMO penitus subjugari potuisse, ipsi non dissitentur Norvegi (e). Nec hoc loco erit silentio pretereundum, quod Norwegiæ Rex, MAGNUS, Lagabóter cognominatus, qui seculo XIII vixit, in fuorum civium solatium condens testamentum, & in hoc mentionem singularum, ut videtur, provinciarum, suæ potestati subjectarum, faciens, Lapponiam plane prætermittat, (f) aliter omnino facturus, si universa hæc terra suo paruisset imperio. Ex quibus in unum collectis argumentis, sequitur, Lapponiam, saltem integram, ad Norwegiæ regnum non pertinuisse.

(a) Vid. *Citat Origines Norrigiæ* p. 3. (b) Vid. *Histov. OLAWI TRYGGWASSONII a nob. REENHIELMIO edit. Cap. XIX* p. 91. (c) Vid. *libr. modo citat* p. 92. (d) Vid. *Cit. OTHERI Periplum* p. 111. & Not. 5 *Nob. LANGEBEK.* (e) Vid. *Peder CLAUSSENS Norriges Beskrif-*

Arifvelse Cap. XXVII. p. 130. (f) Vid. Testamentum Magni, Regis Norwegiæ editum ab Aru. MAGNEO, impress. Hafniæ 1719.

§. III.

Factum vidimus, scilicet quod Lapponia ab eo tempore, ad quod monumentorum pertingit fides, ditionis fuerit Svethicæ; superest, ut de jure Regum nostrorum in hanc terram nonnulla, quantum materia densissimis involuta tenebris permittat, disseramus. Quæ igitur de Lapponum Regibus quidam venditant Scriptores, talia sunt, ut fabulas solummodo sapiant. Quomodo enim gens, quæ sedes suas pro commoditate pascuorum continuè mutat, quæ deserta & humano cultu vacua loca magis, quam urbes & opulentos sequitur agros, aliquem sibi præficeret, cujus subesset imperio? Nec video, Lappones, quomodo hujus sint indolis, ulla necessitate fuisse compulso, ut Regi Svethicæ, quem per longam annorum seriem ipsos ignorasse, verisimile est, sese submitterent. Nec jure victoriæ Reges nostros hanc obtinuisse provinciam, tacentibus annalibus, asserere possumus; immo bellum, in Lappones susceptum, non posset non infelicem sortiri eventum; siquidem aggressores, non cum incolis, quippe qui nemini copiam sui faciunt, sed cum omnibus fere vitæ humanæ miseriis in vastis Lapponiæ solitudinibus conflictari cogerentur. Refert quidem Saxo, ceu supra vidimus, quod FROTHO

THO. III Danicæ Rex Lappiæ, aliisque Svethiæ provinciis præfectos dederit; præterquam vero, quod de amplissimis FROTHONIS expeditionibus magnifice scribit hic auctor, sublestæ est fidei; irruptionem in Lapponiam susceptam memorat nullam; quare prætensum hoc in Lapponiam jus haberi potest ut consequens juris, quod Regi Danicæ in Svethiam, invita tamen monumentorum fide, tribuit. Attamen quum pomœria regnorum æstimentur ex conventionibus, cum vicinis Principibus initis, atque regni Svethici limites non multum dissimiles eis, quibus nunc circumscribitur, olim fuerint, nisi quod bellorum eventus eos subinde turbaverint; patet, Lapponiam Svethici imperii ambitu semper fuisse comprehensam, proindeque Patriæ PATRES jus sibi in istam merito asseruisse provinciam. Et hoc ipsam jus, titulo immemorialis præscriptionis, quæ maximi inter gentes est momenti, fuit confirmatum.

§. IV.

Primarum in Patria Dynastiæ Reges partim externis bellis, partim internis ita implicabantur tumultibus, ut tantam, quantam vellent, curam regionibus, præsertim remotissimis, impendere non possent; quare etjam in antiquis scriptis aliæ raro memorantur provinciæ, quam illæ, ex quibus vel fortes prodierunt viri, vel quæ bellorum fuerunt sedes. Et

B

quum

quum neutrum in Lapponiam quadraret, ratio patet, cur nomen hujus regionis & mentio juris, a Regibus Svethiæ in hanc terram exerciti, in annalibus diu desideretur. Sicut autem Svethiæ Rex MAGNUS, Birgeri filius, LADULÂS cognominatus, patriæ suæ, cujus turbatissimum acceperat regimen, se dedit totum; ita in partem curarum ejus venerunt etjam Lappones, ad illud usque tempus neglecti; non laturus, ut hi sui cives extra fruitionem commodorum, quæ in societate percipiuntur civili, diutius essent projecti. Postquam igitur cognovisset, quosdam suos cives, *Birkarlos* appellatos, merces cum Lapponibus permutare solere, cum illis pactus est, ut Lappones, ab errabunda vita deductos, ad agnoscendum Svethiæ Regis imperium permoverent. Testatur hoc ipsum BUREUS ita scribens, verbis ex Svethica in Latinam linguam translatis: *Tempore MAGNI Ladulâs Lappones sui erant juris. Qui quia eos suæ subjicere potestati non posset, idcirco si quis esset, qui rem tentare vellet, ipsosque subjicere, ei offerebat, se daturum illos in proprietatem.* Deinde memoriæ prodit, *Birkarlos* ab eodem hoc Rege impetrasse litteras, quibus ipsis indulgebantur tributa, ex Lapponibus collecta, cum piscatura Salmonum in horum fluminibus, modo in signum subjectionis Regi darent certum numerum pellium ex *Sciuris grisei* coloris, eosque hac munitos auctoritate negotium sibi demandatum & suscepisse & confecisse (a). Constat autem, opus hoc ea & æquitate & humanitate,

tate, quæ benignitati Regis responderent, non fuisse gestum (b). Quocirca tamen dubitari non potest, quin hæc Sveonum per Lapponiam molimina ad aures Norwegiæ Regum, in sua jura intendorum, pervenerint, adeoque vel hi, si Lapponiam esse suam credidissent, non intermisissent, litem Regibus Svethiæ super isthoc movere negotio, vel Lappones, si Norwegicis paruisent Principibus, non neglexissent, horum opem in suis implorare angustiis; quorum tamen neutrum factum fuisse novimus.

(a) Vid. SCHEFFERI *Lappon. Cap. XII.* (b) Vid. *libr. modo citat. p. 151.*

§. V.

Quoniam in Historia gentis Lapponicæ crebra injicitur *Birkarlorum* mentio, haud præter rem erit, de his nonnulla in medium attulisse. De nomine & origine *Birkarlorum* multum fuit disputatum. OLAVUS MAGNUS perhibet, quod hi *Lapponum Præsides* appellati sint *Bergchara*, id est: *Viri montium* (a); sed quum suæ interpretationis nullam adferat rationem, nec nos illam moramur. Diu probata fuit opinio JOH. HADORPHII, deducentis nomen *Birkarlorum* ab antiquo vocabulo *Biærk*, *mercaturam* denotante (b); donec illustris IHRE etymon hoc, quod nec in Gothica, nec in aliis agnatis occureret linguis, exploderet, ejus loco ingeniose substituens vocem *Birke*,

B 2 quæ

quæ civitatem significat (c). Originem Birkarlorum in remotissimæ antiquitatis tenebris sese invenisse, putant nonnulli. Perhibent igitur, Helsingos quosdam, nominatim ex illustri *BUREORUM* familia ortos, ob tyrannidem Regis *INGIALDI* avitis excitos sedibus, in Finlandiam sese contulisse, ibi parœciam Tavastiæ *Birkalam* excoluisse, atque temporis successu per boreales provincias longe lateque se extendisse (d). Cui narrationi annectunt alii, globum hominum ex parœciis Tavastiæ *Birkala* & *Rengo*, duce quodam *MATTHIA KURCK*, quem Nobilem Fennum fuisse existimat *DALIN* (e) processisse, atque in Ostrobotniam penetrasse, partim ut domesticas evitarent vexationes, partim ut in societatem opulentie, quam maritimæ Ostrobotniæ loca peragrando sibi pridem comparaverant quidam popularium, pervenirent (f). Enimvero quominus statuamus *Birkarlos* suas in parœcia *Birkala* habuisse sedes, cui opinioni sola nominum similitudo occasionem præbuisse videtur, plures obstant rationes. Nullis enim constat documentis, quod Birkalenses nostri præ ceteris Fenis in mercaturam propenderint, nedum quod eam eum Laponibus exererint, & ad Oceanum usque Occidentalem, quousque Birkarlorum valuit industria, extenderint, Quid? quod emigrationem Birkalensium modo memoratam, si qua fuerit, non commerciorum, sed direptionis causa & studio commodiores obtinendi sedes, factam fuisse, Auctor narrationis

nis

nis non diffimulet. Addo, tum quod voces Birkarla & Birkala diversæ originis esse videantur, tum quod parocchia *Birkala* tam longe distet a Lapponia, quæ a Regibus Svethiæ Birkarlis fuit commissa, ut Birkalenses ea tempestate talem Lapponiæ notitiam, qualem commercia postulent, habere non possent. Allatam itaque opinionem eo magis missam facimus, quo certius constat, *Birkarlos* fuisse cives ac mercatores, ex Svethia boreali ortos, qui merces, in urbibus venales, per parœcias provinciarum Septentrionalium divenderent, antequam oppida in his exstruerentur oris: ita enim habet initium Litterarum a Rege gl. m. GUSTAVO I. Birkarlis &c. die 20 Septembr. 1551 scriptarum: *Wij Gustaff &c. Gjøre witterligit, att wære Birkarler och andre landz Köpmenn, som byggje och bo i Norrbottn &c. (g).* Ex eadem fuisse stirpe singulos Birkarlos, non dixerim; societatem vero inter se coluisse, facile crediderim. Parum ante tempora Regis MAGNI LADULÁS noti videntur; potestate autem in Lappones ab hoc Rege eis indulta, ita eorum crevit opulencia, ut vicinis populis sese invisos redderent; id quod ex eis, quæ de Birkarlis in sequentibus adferemus, plene constabit.

(a) Vid. *Ejusd. Histor. de Gent. Sept. Libr. IV. p. m. 112.* (b) Vid. *Ejusd. Præfationes ad leges Bircensium & Dalensium.* (c) Vid. *Ejusd. Glossarium Svoio Goth. p. 190 & 191 in voce Birke.* (d) Vid. *Ifr. STECKSENIJ Dissertat. de Westrobotnia p. 24 & 25.* (e) Vid. *Svea*

Rikes Historia Tom. II. p. m. 272. Not. s. (f) Vid. SCHEFFERI libr. citat. p. 47 & 48 (g) Vid. von STIERNMANS Samling af Kongl. Bref &c. Tom. 1 p. 120.

§. VI.

Postquam Scandinaviæ Semiramis, Regina MARGARETA, in solium etjam Svethicum fuisset evecta, curam conversionis Lapponum a gentilismi tenebris ad Christianæ Religionis lucem circa ipsa regni auspicia in se suscepit. Quod vero negotium Archiepiscopo Upsalienfi HENRICO Caroli, datis Malmogix die b. Sixti Papæ An. 1389 litteris commisit (a): atque ut hoc opus successu non careret, Regina hæc eodem die cum MAGNO Nicolai, Lundensium Præsule, Lappones suo hortatur diplomate ad suscipiendam & fideliter colendam Christi religionem (b). Quocirca verisimile est, hanc provinciam Episcopo cuidam Norwegix fuisse demandatam, si Lapponia ad Norwegiam pertinuisset, præsertim cum Archiepiscopus Henricus moliminibus Reginx non leves injiceret moras. Cujus consequentiæ vim, quod suæ non conveniret opinioni, ut eludat Cel. SCHÖNING, tantum subdubitat, an allatus sese recte habeat annus. Qui Reginx huic in imperium successit Rex ERICUS XIII hortatur JOHANNEM, Svecix Primatem, ad promovendam Lapponum conversionem, templis apud eos passim fundatis, ac idoneis eo concionatoribus destinatis (d). En! aliud, priori analogum, argumentum juris Regum Syethix in Lapponiam.

(a) Vid. PERINGSKIÖLDI Monumenta ulleråker. p. 152.

(b) Vid. MESSENIJ Scandix Illustr. Tom. III p. 33. (c) Vid. Ejus libr. supra cit. p. 93. (d) Vid. libr. & Tom. citat p. 47.